

GOTFRIDVS TINCTOR SPIRENSIS.



Gotfridus apud Spiram urbem colorum nobilium tinctor extitit. Is in adolescentia sua carni indulgens omnis generis uoluptates sequebatur, atque piis sacerdotum admonitiones contemnebat. Cum autem postea grauiter laborare coepisset, atque in extremis iam eslet, Dei iudicium timens dixit, peccata sua maiora esse, quam ut a Deo misericordiam consequi posset. In ea etiam desperatione moritur. Cum autem per aliquot horas in feretro constitisset, atque homines ad sepulturam conuenissent, ipse quorundam hominum precibus, qui eius misericordiam deplorabant, ad uitam ex insperato rediit. Itaque sese erigens mirabilia recesuit, atque plurima de alterius seculi statu declarauit. Ab eo tempore in templis frequens fuit, atque aliquoties mirabilia Dei manifestans, homines ad pietatem & uirtutes excitauit. Cum hoc modo non sine opinione sanctitatis per 12 annos uixisset, tandem anno millesimo trecentesimo trigesimo quinto moriens, sub Emichone Episcopo Spirensi, in oppido Brussel ad altare templi sepultus fuit, idque magno hominum concursu. Anon. in Episc. Spir.